



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallelia Geographiae Veteris Et Novae**

Parallelia Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 6. Politia recens Siciliæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

cer suntur quoque inde vina, oleum, saccarum, herbae medicæ ad conficienda pharmaca. Tapetes quoque maximè ex corio deaurato hinc allati magni sunt in Europâ. Sulphur & nitrum diligenter seruatur ab Hispanis ad puluerem nitratum, ex iis enim confectus puluis tormentarius potentior est.

NUM. 6. *Politia recentis Sicilie.*

Rex Hispanæ huius Insulæ se Principem vocat, non tantum in temporalibus, ut ait, sed etiam in spiritualibus; quare si hic Sa-  
cerdos ad Pontificem appellaret multaretur: ideoque quilibet  
belli offeruntur sæculari iudici (vocant hunc Magistratum Mo-  
narchie Spiritualis Iudicem, seu Inquisitorem) inscribuntur Beatissi-  
mo patri, & ab Episcopo ad hunc iudicem prouocatur. Videlicet  
Reges Siciliæ se dicunt legatos natos à latere, ideoque sibi ius ar-  
rogant puniendi, absoluendi, excommunicandi Clericos etiam  
Cardinales: uno verbo sibi tribuunt omnia quæ inuasit Henricus  
VIII. nisi quod hæc habere se à Summo Pontifice profitentur.  
Impugnauit Cardinalis Baronius Tomo XI. ius istud, contendit  
que Bullam quam ferunt concessam ab Urbano II. Rogerio Re-  
gi, extendi tantum ad hunc Rogerium, & eius filium, & toties re-  
uocaram esse, quoties regnum in nouam familiam transiit: ideo  
feuerissimè interdictum ne Tomus ille Baronij in Siciliâ, & regno  
Neapolitano legatur, aut retineatur.

In temporalibus autem administratur hoc regnum à Prorege,  
Admiralio, Comite Stabuli, Cancellario, Seneschallo, Quæsto-  
re, Conseruatore, Portuum magistro quem Portulauo vocant,  
Protonotario, Magistro secreti, & Magistro Iurato, ex quibus, si  
hunc ultimum excipias, consilium Regium constituitur.

Hic etiam Curia triplex, Magna Curia, Sacra-conlentia  
quæ est appellationum, & Curia Patrimonij seu Dominij.

Messana, & Panormus ad instar Rerum publicarum ferè ad-  
ministrantur; licet Messanæ degat secundus à Prorege Magistra-  
tus vulgo dictus Stradigo di Messina, qui illustrissimus appellatur,  
& triginta hastatos Hallebardiers corporis sui stipatores habet.

Commemoratur & in Sicilia status qui ex tribus corporibus  
(Brachia vocant) conficitur; ex Ecclesiastico videlicet, Episcopis, Ar-  
chimandritâ Messanæ, Abbatibus, &c. ex Militari, hoc est nobis

libus qui Insulam tueri debent; *ex Dominio*, id est ex viribus Mefsanâ, Panormo, Catanâ, &c. Et hi omnes deliberant de dono Regi conferendo, seu Donatiuo.

Rex Hispanæ colligit ex hac Insulâ millionem unum ducatorum anni reditus, præter Donatiuum. Quidam aiunt conscribere posse octoginta millia Fistulatorum Arquebusiers, & triginta Equitum millia. Panormus una viginti sex peditum millia, decem milia Equitum confidere potest. Vulgo Prorex habet 200. Hispanos Prætorianos, in arcibus & præsidis 2500. Regio insuper sufficit ei peditum decem millia, Equites 1500. qui additi nobilibus Equitibus conficiunt tria millia, & ducentos Equites.

### §. 2. De Melita, & Insulis ei adiacentibus.

#### NVM. I. Nomen Melite.

ANTIQUVM nomen retinet leuiter inflexum, litterulâ vñâ ex punctâ. Consule & quæ diximus in Antiquâ.

#### NVM. 2. Amplitudo Melite.

ANTE aliquot annos dicebatur eius *Longitudo*, 20. aut viginti duorum millium; *Latitudo* duodecim, *Ambitus* sexaginta. Sed ante aliquot annos qui eam accuratè dimensus est Geometra tribuit ei 40. passuum millia *longitudinis*, ferè viginti, *latitudinis*: de ambitu nihil statuere voluit, ob crebros sinus quibus lacinatur.

#### NVM. 3. Qualitas Melite.

LICET hæc regio sit paulò calidior, tamen refrigeratur ventis Zephyro, & Cauro, at neque niuem, neque glaciem videt nisi allatas, & arte seruatas. In tota Insulâ ultra quatuor pedes nihil præter scopulos, & rupem inuenies. Ad Medinam, seu veterem urbem frumentum satis copiosè prouenit, quod tamen atere vix potest indigenas per tres menses, itaque ex Siciliâ apportatur. Vbiique Gossipium *le Coton* feliciter succrescit, magno vbiique in pretio, & post demessum hordeum seritur. Quomodo hîc terra & lapides valeant contra serpentes dicemus in Admirandis. Mel ibi tantâ etiamnum copiâ legitur, ut quidam dictam velint à melle. Equi hîc quoque robustissimi, & generosissimi, accipitres no-